

dum vii tantum annos præfuisse dicunt, qui novem in Episcopatu explevit, uti chronologia à nobis servata commonstrat. Mortis dies in necrologio Abdinghoviano notatur iv Calend. Decembris. Cetera de hoc Episcopo memoranda incuria Scriptorum, aut temporum injuria subduxit, à quibus nec sepulchri locum accepimus. Feliciter interea cum Poppone Episcopo actum, quem Deus ex turbulentissimis, quæ per Saxoniam inciderunt, temporibus ad quietiorem in cœlis vitam transtulit.

Et Friderici Episc. Monasteriensis.

Tertius, quem ex Catholicorum Episcoporum numero mors sustulit, est Fridericus Monasteriensis Episcopus. Nam proximo anno ex concilio Moguntino Erponem illi subrogatum commonstrabimus; quanquam an hoc anno, an sub initium proximi anni, aut antè etiam obierit, fasti Monasteriensium non satis docent. Fuit autem Fridericus ex illustri Marchionum Werthinensium familia, patre Theoderico II, ac matre Mathilde Marchionis Misnensis filia ortus. Censurusque est inter sanctissimos Saxoniae Episcopos Annoni per omnem ejus vitam conjunctissimus, multaque præclare gessit pro religione in sua Ecclesia. Cujus pietatis ac liberalitatis monumentum est celebre illud Mauritianum Collegium Canoniorum extra muros urbis Monasteriensis ab ipso conditum & dotatum, in quo & sepulchrum ejus ad ingressum chori magnificè à Martino Schenckingio Decano erectum conspicitur; & cum ab eo anno 1576 sarcophagus aperiretur, repertus est integra ossium junctura in Episcopi habitu. Ad caput procumbentis appositus erat calix cum patina, cui Episcopus pontificali ornatu insculptus erat; inventus & annulus aureus smaragdis distinctus, signa desponsæ Ecclesiæ suæ, quam bonis non minus hereditarijs, quàm virtutibus exornavit, ut hæc in fastis eorum multis commendantur; quippe totum patrimonium suum, quod habebat amplissimum in Ecclesiam suam locupletandam convertit. Friderico in Monasteriensi cathedra subrogatus Erpo è Collegio Canoniorum Goslariensium (quod per id tempus seminarium erat Episcoporum) sed studio ac favore Henrici Regis, eoque Schismatici labe notatus. Erat is ex sorore Friderici nepos, ex illustri quoq; Saxonum familia ac post Canonicus Rhemensis, in eoq; Collegio Scholarum moderator.

Exordium ordinis Carthusiani à D. Brunone instituti

Ceterum inter has Germaniæ turbas D. Bruno Teutonicus, civis Coloniensis filius, hoc anno abdicatis rerum humanarum curis in vastam eremum secessit, & sanctissimum Carthusianorum ordinem instituit, qui ex in brevi se per Franciam, Germaniam, & totam Europam diffudit; id licet Baronius biennio post factum velit, Sigebertus tamen, atque ejus familiæ scriptores ad hunc annum certius referunt, diemque assignant natalem Joannis Baptistæ, quocum Eremitarum

Patriarcha ac patrono Deus hanc admirabilis vitæ familiam nasci in Ecclesia

voluit.

ANNA-